Liber Sextus

Regestorum dñi Innocentij. pp. iij. liber Sextus incipit.

Iohi Priori et fratribus uiri Specus Beati Benedicti regularem uitam seruantibus. Inter holocausta uirtutum nullũ magis est medullatum. quam quod offertur altissimo de pinguedine caritatis. Hoc igitur attendentes. cum olim causa deuotionis accessissemus ad locum solitudinis uestre. quem beatus Benedictus sue conuersionis primordio consecrauit. et inuenissemus uos ibi secundum institutionem ipsius laudabiliter domino famulantes. ne pro temporalis sustentationis defectu. spiritualis obseruantie disciplina torperet. apostolicum uobis subsidium duximus impendendum. sperantes quod idem beatissimus Benedictus nostre deuotionis affectum suis meritis et precibus apud piissimum patrem et iustissimum iudicem commendabit. Vestris itaque cupientes necessitatibus prouidere. sex libras usualis monete uobis et successoribus uestris de Camera beati Petri singulis annis percipiendas concessimus. donec in aliquo certo loco uobis essent utiliter assignate. statuentes ut ea que ad sustentationem uestram consueuistis percipere de monasterio Sublacensi. uobis et successoribus uestris propter hoc minime negarentur. Postmodum autem cum reuersi fuissemus ad urbem quosdam de fratribus uestris ad nostram presentiam destinastis. humiliter implorantes ut concessionem ipsam in aliquo certo loco dignaremur perpetuo stabilire. de quo predictas sex libras percipere ualeretis. Nos igitur habito fratrum nostrorum consilio et assensu. iamdictas sex libras. uobis et successoribus uestris percipiendas singulis annis de annuo censu castri Porciani concedimus. et concessionem ipsam presenti priuilegio confirmamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis et constitutionis infringere. uel ei ausu temerario contraire. Siquis autem etc. usque incursurum. Amen ... Amen. Dat. Lateran. per manum Blasii Turritani Electi. vi. kl. Martii. Indictione vi. Incarnationis dominice Anno m. cc. ij. Pontificatus uero domni Innocentij. pp. iij. anno Sexto.

.. Priori de Osene.

Per tuas nobis litteras intimasti. quod .W. lator presentium post matrimonium cum quadam muliere contractum. cum sorore illius incestum simul et adulterium perpetrauit. et per triennium sorduit in hac sorde. ita quod geminam prolem ex adultera predicta suscepit. per quod crimen deuenit ad notitiam uicinorum. Verum idem .W. in penitentiarii nostri presentia constitutus. paupertatem nimiam allegauit. asserens quod non posset ierosolimitanam prouinciam uisitare. Cuius igitur facultatem eius plenius nosse potes. ipsum ad te duximus remittendum. dis. t. p. a. s. m. quatinus iniungas ei penitentiam quam uideris expedire. Ceterum quia qualiter cum uxore sua decetero habere se debeat requisisti. tue inquisitioni breuiter respondimus. quod ut ab eius commixtione prorsus abstineat. propter publicam honestatem. et in continentia maneat donec uir uiam fuerit uniuerse carnis ingressus. uxor est diligentius commonenda. Que si forte commonitioni parere recusans. talis fuerit ut de lapsu timeatur ipsius. uir eius poterit et debebit tamen cum timore domini debitum ipsi soluere coniugale. cum affinitas post matrimonium iniuste contracta. illi nocere non debeat. que iniquitatis particeps non existit. Unde iure suo sine sua non debet culpa priuari. quamquam a quodam predecessorum nostrorum dicatur in simili casu fuisse distinctum. utrum uidelicet adulterium uel incestus. manifestum fuerit uel occultum. aliis asserentibus inter gradum et proximum. esse potius distinguendum. Dat. Lat. vij. kl. Martii. pontificatus nostri anno Sexto.

.. Abbati ecclesie sancti Lupi Trecensis. eiusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem uitam professis In perpetuum.

Fauor religionis et ordinis quem tenetis. uiteque fragrans honestatis opinio fecisse nos inducit iustis petitionibus uestris clementer annuere. et eas ad effectum utilem uolente dño promouere. Eapropter dilecti in dño filii uestris iustis postulationibus clementer annuimus. et prefatam ecclesiam sancti Lupi in qua diuino mancipati estis obsequio. sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. et presentis s. p. co. In primis siquidem statuentes. ut ordo canonicus qui secundum deum et beati Augustini Regulam in eadem ecclesia institutus esse dinoscitur. perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur. Preterea quascumque possessiones quecumque bona eadem ecclesia impresentiarum iuste et canonice possidet. aut in futurum concessione pontificum. largitione regum. uel principum. oblatione fidelium. seu aliis iustis modis prestante domino poterit adipisci. firma uobis uestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda uocabulis. Locum ipsum in quo prefata ecclesia sita est. cum omnibus pertinentiis

61A

de qua nec debuisti nec debes aliquatenus dubitare: tuam secundum deum exerceas potestatem. cum quo si corde puro recte possederis. ipse in viam salutis et pacis diriget gressus tuos. Dat. Lateran. VII idus Martii. Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

C. IN NOMINE SANCTE ET INDIVIDUE TRINITATIS. OTTO QUARTUS DIVINA FAVENTE CLEMENTIA ROMANORUM REX ET SEMPER AUGUSTUS.

Recognoscentes ab eo nostre promotionis donum misericorditer processisse. a quo est omne datum optimum. et omne donum perfectum. ipsum eiusque vicarium et sponsam eius sanctam ecclesiam disposuimus et decrevimus magnifice honorare: ut qui nobis in presenti temporale contulit regnum. in futuro quoque tribuat sempiternum. Proinde vobis reverentissime pater et domine summe pontifex Innocenti, quos pro multis beneficiis nobis impensis sincerissimo veneramur affectu. vestrisque catholicis successoribus et ecclesie Romane. omnem obedientiam. honorificentiam. et reverentiam. semper humili corde ac devoto spiritu impendemus. quam predecessores nostri reges et Imperatores catholici vestris antecessoribus impendisse noscuntur. nichil ex his volentes diminui. sed magis augeri. ut nostra devotio clarius enitescat. Illum igitur abolere volentes abusum. quem interdum quidam predecessorum nostrorum exercuisse dicuntur in electionibus prelatorum. concedimus et sancimus. ut electiones prelatorum libere ac canonice fiant. quatinus ille preficiatur ecclesie viduate. quem totum capitulum. vel maior et sanior pars ipsius. duxerit eligendum. dum modo nichil ei obstet de canonicis institutis. Appellationes autem in negotiis et causis ecclesiasticis ad apostolicam sedem libere fiant. earumque prosecutionem sive processum. nullus impedire presumat. Illum quoque dimittimus et refutamus abusum. quem in occupandis bonis decedentium prelatorum. aut etiam ecclesiarum vacantium. nostri consueverunt antecessores committere. pro motu proprie voluntatis. Omnia vero spiritualia vobis et aliis ecclesiarum prelatis relinquimus libere disponenda. ut que sunt cesaris cesari. et que sunt dei deo recta distributione reddantur. Super eradicando autem heretice pravitatis errore, auxilium dabimus et operam efficacem. Possessiones etiam quas ecclesia romana recuperavit ab antecessoribus nostris. seu quibuslibet aliis antea detentas. liberas et quietas sibi dimittimus. et ipsam ad eas retinendas bona fide promittimus adiuvare. Quas vero nondum recuperavit. ad recuperandum pro viribus erimus adiutores. Et quecumque ad manus nostras devenient. sine difficultate ei restituere satagemus. Ad has pertinet tota terra que est a Radicofano usque Ceperanum. Marchia anconitana. Ducatus Spoletanus. Terra comitisse Mathildis. Comitatus Britenorii. Exarcatus Ravenne. Pentapolis cum aliis adiacentibus terris expressis in multis privilegiis Imperatorum et regum a tempore Lodovici. ut eas habeat romana ecclesia in perpetuum cum omni iurisdictione. districtu et honore suo. Verumtamen cum ad recipiendam coronam Imperii. vel pro necessitatibus ecclesie ab apostolica sede vocati venerimus. de mandato summi pontificis recipiemus procurationes sive fodrum ab illis. Adiutores etiam erimus ad retinendum et defendendum ecclesie romane Regnum Sicilie. ac cetera iura que ad eam pertinere noscuntur. tamquam devotus filius et catholicus princeps. Ut autem hec omnia memorato sanctissimo patri nostro domino Innocentio sacrosancte Romane ecclesie summo pontifici. eiusque successoribus per nos et nostros successores romanorum Imperatores et reges observentur. firmaque et inconvulsa semper permaneant. presens privilegium conscriptum maiestatis nostre aurea bulla iussimus communiri.

SIGNUM DOMINI OTTONIS QUARTI ROMANORUM REGIS INVICTISSIMI.

Ego Conradus Spirensis episcopus. vice domini Siffridi Maguntini archiepiscopi et totius Germanie archicancellarii. regalis aule cancellarius recognovi. Acta sunt hec anno dominice incarnationis Millesimo. CC°. VIIII. Indictione. XII. Regnante domino Ottone quarto Romanorum Rege glorioso. Anno regni eius undecimo. Datum apud Spiram XI. kl. Aprilis.

61B